

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Disputatio Controversistica qua Realis Ac Substantialis praesentia corporis & sanguinis Domini in Evcharistia

**Baldinger, Bernhart
Stucki, Johann Rudolf
Heidegger, Johann Heinrich**

1669

Caput II.

[urn:nbn:de:bsz:31-162645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-162645)

minibus excogitata commenta, velut sacranica, detestata est, grato semper, & memorie animo præstantissimum hoc Christi beneficium agnoscens. Hæc Concilium.

Ex hoc capite doctrina Concilij clarè innotescit; quare jam solum superest, ut ea, quæ D. Heid. huic opponit, videamus.

CAPUT II.

REFERTUR SENTENTIA

D. Heideggeri, suorumque Protestantium.

NO S (mox sententiæ Concilij Trid. relata subjungit D. Heideg.) ante omnia præsentiam corporis ac sanguinis Christi distinguimus. Est enim ea, vel spiritualis, vel sacramentalis, symbolica & relativa, vel corporalis & substantialis.

Resp. Hanc distinctionem non reprobō, & ideo audiamus, quid per quodlibet hujus distinctionis membrum à D. Heid. intelligatur.

1. Spiritualis est, inquit, quæ corpus & sanguis Christi per Spiritum S. præ-

sens

sens sistitur spiritui credentis, seu fidei, quæ à Paulo Hab. 11. v. 1. ὑποστάσις ἐλεγχομένων, καὶ ἑλεγχος πραγμάτων ὁ βλεπομένων representatio eorum, quæ sperantur, & demonstratio rerum, quæ non videntur, definitur. Sicut igitur Spiritus S. credenti representat omnia, quæ sperantur, & non videntur: ita etiam ei representat corpus & sanguinem Christi. Hæc D. Heid.

Resp. Non nego, omnia, etiam remotissima, & quidem non tantum nunc actu existentia, sed etiam jam olim præterita, vel adhuc aliquando futura, quæ spiritui, seu intellectui credentis representantur, aliquo modo præsentia sibi, & hoc sensu etiam corpus & sanguinem Christi omnibus fidelibus verâ fide Incarnationem Verbi credentibus præsens esse, imò & Patribus ab initio mundi in Christum futurum credentibus præsens fuisse. At hæc est præsentia merè spiritualis & objectiva in Spiritu, seu intellectu credentis, uti jam supra fusius à fol. 97. & 167. usque ad 173. (ubi etiam

K 7

cira-

citatus textus Pauli explicatur fol. 172.) docuimus.

2. Sacramentalis, symbolica, & relativa est, ait D. Heidegg. quâ Christi corpus & sanguis præsens sistitur, adeoque representatur in Symbolo & Sacramento divinitus instituto, non nudè figurante & docente, sed etiam obsignante, & sano sensu exhibente. Quae quidem praesentia relativa tantum est, sed pro relatorum à Deo institutorum naturâ talis, ut bona promissa, adeoque corpus & sanguinem Christi, longè potentius & certius in manus nobis tradant, quàm Testamentum res legatas, ac litera ac sigilla redditus annuos heredibus, & possessoribus exhibent, & obsignant.

Resp. Hisce non sufficienter praesentia, etiam merè Sacramentalis, explicatur. Nam bona à Christo promerita, & promissa, adeoque corpus & sanguis Christi in Sacramento, non modò velut in symbolo nudè tantummodo figurante, & per verba docente, vel etiam obsignante, representantur; sed, singulari virtute divinitus acceptâ, etiam realiter actu (nisi ponatur obex)

obex) per Sacramenta conferuntur,
 vel quoad entitatem suam, nempe
 gratia sanctificans, aliâque dona; vel
 quoad jus ad illa, nempe ad gloriam
 cælestem; vel quoad virtutem quâ
 Christus per Sacramenta operatur: &
 hoc sensu ipsum corpus Christi in quo-
 libet novi testamenti Sacramento præ-
 sens est. Et certè hæc bona promissa
 nobis conferuntur per Sacramenta, &
 traduntur longè potentiùs & certiùs,
 quàm testamentum res legatas, ac litem
 ac sigilla redditus annuos hæredibus
 exhibent, & obsignant: hæc enim
 non nisi merum jus humanitus ob-
 signatum & confirmatum, ideòque sub-
 inde non admodum certum, exhibent:
 Sacramenta autem, præter certis-
 simum jus ad gloriam (utpote divinitus,
 & sic sanè longè potentiùs & certiùs
 obsignatum) etiam gratiam sanctifi-
 cantem, aliâque dona realiter con-
 ferunt. At verò hac merè Sacramentali
 præsentia ipsum corpus Christi non
 realiter statuitur præsens, sed *tan-*
tummodò ut in signo, vel figura, aut vir-
tute (quomodo non tantum in Evcha-
 ristia,

ristia, sed etiam in quolibet novi Testamenti Sacramento præsens est) nisi ipsius entitas præsens fiat.

Remanet ergo quæstio, an corpus & sanguis Christi præter hanc merè sacramentalem præsentiam, quâ in quolibet novæ legis Sacramento præsens est, singulari modo præsens sit in Evcharistia, nempe non tantummodo velut in signo, vel figura, aut virtute; sed etiam realiter ac substantialiter quo ad propriam entitatem.

3. Corporalis denique, ait, D. Heid. & substantialis præsentia est, cum corpus, & sanguis Christi censentur in, vel sub Symbolis, sive eorum accidentibus præsentia existere ἀδυστάτως, & secundum indistantiam loci, & substantialem propinquitatem.

Resp. Admitto hanc corporalis & substantialis præsentia descriptionem, quâ etiam quodlibet corpus vel pura substantia alicubi corporaliter vel substantialiter præsens dicitur. Approbo, quod D. Heidegg. utramque hanc præsentiam unâ descriptione hîc comprehendat, & explicet, præscindendo à modo

modo existendi vel corpōri, vel puræ
 etiam spiritali substantiæ naturaliter
 debito. Et ideo velim, ut Lector dili-
 genter advertat, etsi dicatur, corpus
 Christi esse corporaliter in Sacramen-
 to, hoc ipso non intelligi, quod cor-
 pus Christi in Sacramento sit dimensivè
 & quantitativè secundum commensu-
 rationem corporibus naturaliter de-
 bitam præsens, sed tantummodò dici,
 quod corpus Christi in, vel sub sym-
 bolis sive eorum accidentibus existat
ᾧ διασάτως, & secundum indistantiam
 loci (præscindendo à modo existen-
 di) quoad *veram corporis entitatem*.
 Hinc utraque, & *corporalis* & *substan-*
tialis præsentia, uno verbo, dici potest
 præsentia *realis*, quā nempe vel cor-
 pus vel pura substantia, vel alia res
 quælibet alicubi existit, quo ad rem
 seu entitatem suam, sive illa sit sub-
 stantia, sive spiritus, sive merum cor-
 pus, vel tantummodò accidens, præ-
 scindendo, uti dixi, à modo, quo
 illa entitas, vel naturaliter, vel super-
 naturaliter in loco existit.

His prænotatis jam tandem videamus,
 quàm

quàm corporis & sanguinis Christi præsentiam D. Heidegg. cum suis in Eucharistia affirmet, vel neget.

Agnoscamus igitur, ait ipse, corpus & sanguinem Christi esse in Cœna Domini spiritualiter, quomodo fidei, seu spiritui credentis præsens est tum in Sacramento, tum extra illud. Objecti enim spiritualis respectu facultatis spiritualis præsentia non est dijudicanda ex propinquitate locali, sed ex potestate apprehensionis, ac illius veritate. Sicut igitur solvibilis magno quidè à nobis intervallo distans oculis nostris nihilominus præsens est, quia illum videre possunt, & revera vident: ita Dominus noster, quamvis secundum humanitatem non minus distet à credente, quàm calum à terra, præstamen semper, & ubicunque est fidei electorum, quia ipsum apprehendere potest, & revera apprehendit.

Resp. Hanc ipsam spirituales præsentiam, tum in Sacramento, tum extra illud, & nos, cum Concilij Tridentini Patribus, agnoscamus; at verò hîc id ipsum addo, quod paulò ante supra fol. 229 etiam monui, hanc corporis

poris Christi præsentiam esse merè
 objectivam, quâ præsentia ipsum cor-
 pus Christi jam ab initio mundi fidei,
 seu intellectui fidelium præsens fuit
 (quia ipsum jam tunc fide apprehen-
 derunt & crediderunt) licet realiter
 nondum existeret. De hac loquitur
 Christus Joan. 8. *Abraham pater ve-*
ster exultavit, ut videret diem meum;
vidit & gavisus est. v. 56. Hoc sensu
 docet Concilium, corpus Christi etiam
 extra Sacramentum sumi spiritualiter,
 nempe per fidem & votum, quo id à
 fidelibus creditur, & desideratur. Sess.
 13. c. 8.

Agnoscamus, ait D. Heidegg. deinde
etiam corporis & sanguinis Christi in
Eucharistia præsentiam sacramentalem,
symbolicam & relativam, qualem su-
perius descripsimus. Quæ quidem præ-
sentia nuda & vacua signa, ac figuram
nudè adumbrantem, qualem etiam Sy-
nodus anathema nobis obliquè impingit,
validè excludit. Realis etiam dici po-
test, prout videlicet res opponitur non Sa-
cramento rem illam significanti, obfig-
nantii & exhibenti: sed prout opponitur

non enti, figmento, vacuis signis, & figura nudè adumbranti.

Resp. Vera mixta falsis hîc proponuntur, & ideo distinctam responsionem requirunt. Dico ergo,

1, Et nos agnoscimus corporis & sanguinis Christi præsentiam sacramentalem, symbolicam, & relativam, qualem nos superius descripsimus. Quæ quidem præsentia utique nuda & vacua signa, ac figuram nudè adumbrantem non solum validè excludit, sed etiam virtutem actu gratias conferendi adstruit. Quod autem ea præsentia, quam adverbij agnoscunt, vacua signa, & figuram nudè adumbrantem, seu significantem non magis excludat, quàm concio, quæ mysteria fidei proponuntur, & declarantur, probatum est satis supra fol. 75.

2. Fallum est, hanc merè Sacramentalem à D. Heid. descriptam præsentiam sano sensu dici posse *realem*; nisi per ipsam corporis Christi realis entitas ac substantia in Sacramento præfens sistatur, ut supra fol. 77. & 167.

3. Verum quidem est, quod res non oppo-

opponatur enti, sed figmento merè
fictitio, quod nullam prorsus entitatem
habet: & ideo concedo, quòd *res non*
opponatur Sacramento rem illam signifi-
canti, obsignanti & exhibenti, ut D.
Heid. loquitur: sed quid hinc deduci-
tur? Sane non aliud, nisi quod *res*,
nempe corpus & sanguis Christi, non
opponatur symbolo, seu Sacramento
ipsam significanti, obsignanti, & exhi-
benti; adeoque ipsum corpus Christi
in Sacramento simul cum symbolo
(nempe specie panis & vini) realiter
præsens existere posse. Hoc utique
nos concedimus, & dicimus, corpus
Christi in Sacramento sub symbolo
panis vere præsens adesse.

4. Uti non ob negationem dictæ op-
positionis; ita nec ob veram ac certam
obsignationem, qualem supra descrip-
sit, corpus ipsum Christi in Sacramento
realiter præsens dici potest, nisi realis
entitas ac substantia ipsius adesse con-
cedatur, uti supra dixi. Nam Testamen-
tum res legatas, ac literæ & sigilla re-
ditus annuos hæredibus & possessori-
bus quidem obsignant; at realiter non
exhi-

exhibent. Licet enim testamentum optime obsignatum realiter exhibeatur, ac in manus tradatur, hoc ipso res legata, e.g. mille duplae, non fiunt in manu realiter praesentes, & ideo, quod realiter in manus tradantur, dici nequeunt. Certè saepe fit, ut (hac testamenti optime obsignati traditione e.g. Tiguri facta) ipsae res legatae realiter sint praesentes, non Tiguri in manu testamentum accipientis, & firmiter tenentis; sed in capsula Parisiis ad commodam transmittendi occasionem reservatae. Imò dum pro redditibus annuis litera sigillo obsignata realiter alicui in manus traduntur, saepius ipsi redditus annui (puta vinum & frumentum proventura) nullam adhuc realem in natura rei existentiam habent. Quare, dum testamentum ac litera, quomodocunque obsignatae sint, nobis traduntur, hoc ipso realiter nihil accipimus, nisi ipsum testamentum, ac literas, & per illas ipsum jus ad res legatas ac redditus annuos aliquando pro tempore obventuros. Falsum ergo est, quod corpus Christi in Sacramento

realiter

realiter præsens dici possit ex eo
solum, quòd sacramentum illud non
nudè tantum significet, sed certò, imò
certissimè, ob signet.

§. Verùm quidem est, quod D. Heid.
supra dixit, nempe, quòd per Sacra-
menta longè potentiùs & certius no-
bis bona promissa tradantur, quàm te-
stamentum res legatas tradat : at hæc
major potentia & certitudo in eò con-
sistit, quòd Deus ea, quæ promittit, lon-
gè certius, quàm quilibet homo, & da-
re velit, & longè potentiùs dare pos-
sit. At nec hæc certitudo, nec potentia
facit, ut bona promissa sint *realiter* no-
bis præsentia, nisi potentia & certitu-
do ponantur in actum, & *realiter* enti-
tatem ipsorum nobis conferant. Deus
Abrahamo, posterisque ipsius promisit
Christum (utique longè potentiùs &
certius, quàm ullo testamento huma-
nitus quomodocunque ob signato fieri
potuisset) at Christus ob hoc nō fuit A-
brahæ ejusq; posteris *realiter* præsens,
nisi dum in plenitudine temporis *Ver-
bū caro factum est, & habitavit in nobis.*
Jo. i. 14. Sic corpus Christi, quomodo-
cun-

cunque certò promittatur, & ob-
gnetur per Sacramenta, non potest di-
ci in ijs esse realiter præsens, nisi con-
cedatur, esse ibi præsens quo ad rea-
lem entitatem suam. *Realem* autem
præsentiam ob tam clara & Scripturæ
& Patrum testimonia esse in Evchari-
stia asserendam, ipsi Adversarij hoc ip-
so fatentur, quòd omnem lapidem
movent, ut probent, illam etiam præ-
sentiam corporis Christi, quam ipsi in
Evcharistia profitentur, esse, vel saltem
dici posse *realem*. Sed, uti dixi, in va-
num laborant, nisi nobiscum sentiant.

Sed negamus, ait D. Heid. præsentiam
corporis & sanguinis Christi substantia-
lem & corporalem, quâ videlicet cor-
pus & sanguis Christi in hoc Sacramento
sit cum totâ suâ propriâ quantitate di-
mensivâ, sive secundum commensuratio-
nem corpori debitam, vel secundum pro-
prium modum quantitatis, dimensionè &
quantitativè, ut nonnulli crudiores
asserunt; sive indivisibiliter secundum
modum substantia, ita ut tota substantia
corporis sit in totâ specie panis & quali-
bet ejus parte, uti quidem Sophistæ Tho-

mas,

mas, Bonaventura, alijque plures restringunt. Quibus posterioribus favere videtur Synodus cap. 1. hisce verbis. Neque enim hæc inter se pugnant, ut ipse salvator noster semper ad dexteram Patris assideat, juxta modum existendi naturalem, & ut multis nihilominus alijs locis Sacramentaliter præsens sua nobis substantia adsit. Synodo igitur opponimus sequentia argumenta. Hæc D. Heideggerus.

Resp. Etiam nos negamus præsentiam corporis & sanguinis Christi substantialem & corporalem illam, quâ videlicet corpus & sanguis Christi in hoc Sacramento sit cum tota sua propria quantitate dimensionâ secundum commensurationem corpori debitam, vel secundum proprium modum quantitatis, dimensionis & quantitativæ. Nec invenio ullos tam crudos Catholicos, qui hanc corporis Christi in Eucharistia præsentiam asserant. Video quidem, quod D. Heid (objectione sua 10. sequenti) hanc sententiam affingat Gabrieli Biel, Richardo, quin & subtilissimo D. Scoto; sed qua injuriâ

L

riâ id faciat, videbimus in ejusdem objectionis solutione infra cap. 12.

Nos cum Concilio, quod sententiam non tantum SS. Thomæ, ac Bonaventuræ, sed & aliorum antiquorum SS. Patrum ac Doctorum (uti supra vidimus fol. 226.) sequitur & approbat, affirmamus præsentiam corporis & sanguinis Christi substantialem & corporalem, quâ corpus, & sanguis Christi, post consecrationem, in SS. Eucharistiæ Sacramento verè, realiter, ac substantialiter (attamen absque extensione quantitativâ corporibus naturaliter debitâ) sub speciebus panis & vini adest *ἀδυσάτως secundum indistantiam loci, & substantialem propinquitatem*, uti ipse D. Heid. hanc corporalem & substantialem præsentiam supra explicavit fol. 232.

Quod verò ipse SS. Thomam & Bonaventuram Sophistis annumerat, paucis respondeo. Certè cum illi Sophistæ vocari soleant, qui astutis fallacijs utuntur ad minus attentos decipiendos, ac in errorem inducendos, discretus Lector facile judicabit, eâ modo-
stia

stia hos Doctores, quorum & doctrinam & sanctitatem per aliquot jam secula Christianus Orbis suspexit, fallacibus Sophistis accenseri, quâ privatus Doctor se non modò toti Concilio opponit, sed jam id à se nervosè refutatum, & convictum esse publico typo gloriatur. Jure gentium nemo reputandus est malus, nisi malus esse proberetur, quo jure ergo tanti Doctores prius proclamantur Sophistæ, quàm probentur?

An potius ipse D. Heideggerus Sophistis accensendus sit, ijs relinquo judicium, qui attentè consideraverint, quàm astutè ipse falsa veris immisceat; quàm verborum pompâ sua argumenta proponat, ut ipsorum vel debilitatem, vel etiam falsitatem contegat, & quàm artificiosis periodis ea inflectat, ita ut difficilius videatur larvam ijs, ut clarè pateant, detrahare, quàm illa, detractâ larvâ, refutare. His breviter notatis, tandem aliquando illa argumenta, quæ D. Heid. Synodo opponit, audiamus, & videamus, an vel u-

L 2

num

num ex ijs sit, quod contra Synodum
aliquid nervosè convincat.

CAPUT III.

REFUTATUR I. ARGU- mentum D. Heideggeri.

OBijcit I. *Christus* Matth. 24. v. 23.
& 26. *vetat nos credere ijs, qui
dicunt de se: Hic est: additque ra-
tionem, quâ vanitatem iactate presentia
sue convincit, quia videlicet adven-
tus illius sit futurus clarus & lucidus, ut
fulgur prodit ab Oriente, & lucet ad
Occidentem.* v. 27. *Promde disertè ve-
tat fidem presentia corporis sui in ter-
râ, quæ invisibilis sit, qualem Papistæ ja-
ctant in eremis ac penetrabilibus, & prom-
ptuariis suis.* Hæc D. Heid.

Pro hac, alijsque dandis, quin etiam
& in prima & secunda parte jam datis
responsionibus, notandum est, cujusli-
bet argumenti veritatem, & falsitatem
nullo alio medio meliùs ante oculos
poni, quàm si id ad formalem syllogis-
mum reducatur. Si enim Major pro-
positio, quæ in Enthymemate, velut
in-